

ὁπρὺς ⑤ utilis est ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, &c. peccari non potest, si ad finem hunc assequendum aliquid præ cæteris feligatur. Et notabile occurrit exemplum Summi Theologi, *Dn. D. GEIERI*, qui, cum anno 1665. ipsis Calendis Januariis solenni Concione munus Supremi Concionatoris in Aula Electorali auspicaretur, apertè narrat, in mediis dubitationibus ab improvisa hac vocatione enatis, in manus sibi venisse librum Summè Rev. nostri *OLEARI*, quem de *MIRABILI DEI BENIGNITATE* lingvâ vernaculâ concepit, ubi pag. 456. hæc verba oculis primùm se insinuaverint, non sine omine, ex *Ferem. I, 8*: *Du solt gehen/ wohin ich dich sende/ und predigen/ was ich dich heisse. Fürchte dich nicht für ihnen / denn ich bin mit dir.* Et fatetur ὁ πρὺς Theologus visum sibi fuisse, *DEum ex isto libro secum loqui.* vid. *Concio seorsim edita pag. 8.* Cæterùm probari nunquam poterunt sortes, quæ circa negotia planè specialia suscipiuntur e. g. si Calendis Januariis evolutâ Scripturâ primum dictum pro felicitatis futuræ indicio capere velim; vel empturus domum aut hortum, è sacris literis consilium petat. Non enim hunc finem intendit Spiritus Sanctus, ut de futurorum cognitione tali modò evaderemus certiores. Quin potius clarissima *DEI* est regula, omnibus sortilegiis potior, *Gen. 4. 7.* *Nonne si benè feceris, venia erit? & si non benè feceris, ad ostium peccatum cubat.*

Quamobrem quæ futuri anni debeat expectari prosperitas, nullò divinationis genere libet indagare; sed in vota effundi animus est, quæ quasi in brevi tabula exhibeant, quid per integrum annum pro *AUGUSTA SALUTE* simus precaturi. Huc enim nos provocare videtur undecimus hic *Januarius*, quem à condito

dito